UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Solida, Verboqve Dei Et Libro Concordiae Christianæ congrua Decisio, Qvatvor Illorvm Inter Aliqvos Theologos Augustanæ Confessionis, Nuperrime Controversorum Capitum Principaliorum, de verâ ...

Johann Georg <I., Sachsen, Kurfürst>

Lipsiæ?, [ca. 1624]

I. Statvs Controversiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-32961

Visual Library

I.

DE PRÆSENTIA DEI APVD CREATVRAS.

I.

STATVS CONTROVERSIÆ.

AGITATA hactenus fuit inter aliquos Confeſſioni Auguſtanæ addictos Theologos controverſia, de pręſentia Dei apud creaturas: non quidem, an Deus adſit; unanimiter enim utraque pars hoc confitetur: neque de eo diſceptatur, an præſentia Dei apud creaturas cum operatione ſit conjuncta? Extra omnem enim controverſiam & iſtud eſt: quemadmodum illud quoque ambabus manibus utraque pars largitur, φαινομένως aliqua Scripturæ loca ſolam Dei adeſſentiam, ſine operatione innuere: Sed in hoc vertitur cardo quæſtionis: Cùm in Scriptura Sacra de παρουσίᾳ Dei apud Creaturas modificata agitur, *an per verba, in cœlis eſſe, cœlum & terram implere, ego tecum ero*, & ſimilia dicta, *nuda Dei adeſſentia, an verò ſimul efficax operatio innuatur? Adeoque*

num ad accuratam definitionem præſentiæ Dei apud creaturas, ſemper etiam operatio efficax divina, ceu pars eſſentialis neceſſariò requiratur? Ubi pars una Affirmativam, altera Negativam magna contentione tuetur.

II.
DECISIO HUIUS CONTROVERSIÆ.

IAM ſi Scripturæ Sacræ oracula penitus inſpiciamus, perſpicuum & manifeſtum eſt, præſentiam DEI apud creaturas, operationem ſemper in ſe complecti: adeoque *duo ad plenam definitionem præſentiæ Dei requiri: Primò adeſſentiam infiniti & immenſi Dei: Secundò Præſentis Dei operationem.* Quæ ambo ita arctè & intimè invicem conjuncta ſunt, ut nec DEUS ſine adeſſentiâ ſuâ apud creaturas quicquam operetur, vel aggrediatur: nec ſine operatione ſua divina creaturis adſit: Sed ſecundùm univerſos ac ſingulos præſentiæ modos cum operatione adſit. Etſi enim quoad noſtrum concipiendi modum præſentia Dei ab operatione diſtingui poteſt: Senſu tamen Biblico ſumta, hoc eſt, modificata præſentia, nequaquam ab operatione ſeparatur: Sed hanc præſentia Dei apud creaturas in ſuo eſſe unà complectitur: adeo quidem modificata DEI *præſentia Stylo Biblico deſcriptâ,* ſine certâ operatione ne quidem concipi, nedum completè definiri queat.

Id quod luculentiùs patet, ſi modi præſentiæ divinæ diſtincti ἀκριβεστέρως conſiderentur: Primo namque præſentia univerſalis, qua Deus in cœlis eſt, omniaque replet, non utique ſola ejus eſt apud creaturas adeſſentia, vel propinquitas: ſed & ſimul immediata ac potentiſſima earundem conſervatio, & gubernatio, quo verba Jehovæ ipſius directè tendunt, Jerem. 23. verſ. 23. & 24. *Nonne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè? Nunquid non cœlum & terram ego impleo dicit Dominus?* Quid verò per propè ſuum *eſſe* Dominus velit, ipſemet explicat, nimirum, Neminem ita abſcondere

ſic